

cedentibus; undè laxatae membranae & liquefactae  
voci solent esse fraudi in coryzis, & adfectibus consi-  
milibus, praecipuè pectoralibus.

Observatum est, si *μεγέγυας* id addere licet, Indi-  
cam re, nomine Gallicam prolem, *Nicotianam*, ex ge-  
nuinae Methodi ductu praemissis generalibus, amissam  
cerebralis defluxus torrentium oppressu, conti-  
nuato sui usu, vocem penitus etiam cohibitam auspi-  
catò restituisse.

## CAPVT IIX.

**A**lterum vitium hæc membra admittunt in  
**CONFORMATIONE** *organicum*, idque  
trifariam, putabis in *magnitudine, situ, figura*.

*Primum* evenit ad ipsum etiam sensum, parte ni-  
mis tumen te ultra debitum naturae tenorem, id quod  
difficulter reciprocata anima aut intra aut extra se  
numero manifestat. Illud in cynanche intra etiam  
diem fit: hoc autem ab aliqua parte vicina est, ut in  
bronchocele aut gutturali Hernia: vel ab oesophago,  
qui nimis crassa deglutiturus, ea nondum deorsum  
dejecta adhuc sustinet.

*Alterum* accidit, collo vel dextrorsum vel fini-  
strorsum propendente: id quod in iis animadvertere  
est, quibus illud perversum est; ubi loco mutato *la-  
rynx* perperam actionem suam obit, ingrataeque vo-  
cis & taediosae loquelae autor fit.

Ultimum autem ab *obstructione*, tum etiam *asperita-  
te ac laevitate* est.

*Εμφεγξίς* est, dum in *Glorride* aliquid crassae aut pi-  
tuitolae materiae cavitati ejus aut rimulae, inest, un-

D 2

dè illa

Classis  
II.

I.

II.

III.